

Ge. 102.



107

V. 145

Teaching Kunst des Baues in
Comp. 27. Marky. Hoj. 8.

13. gl.



PETRI HEIGII IC. ET IN
ACADEMIA VVITEBERGENSI
PROFESSORIS,

ORATIO

DE ÆMILIO PAPINIANO
PRAETER VITAE MORTISQUE HISTORIAM
& officia Iurisconsultorum maxime insignia VINDICIAS Libertatis
Viri & Iurisconsulti optimi continens adversus
nuperum obtrectatorem.



VVITEBERGÆ,

Typis Zachariæ Lehmanni,

Anno M. D. XCIII.

INSTITUTION
LIBRARY

ORATIO

DE MORTUO
FRANCISCO
MAGISTRO
FRANCISCO
MAGISTRO



VITTEBERGA

Typis Zachariae Johannini
anno M. D. LXXII



BENEVOLO LECTORI.

SCRIPSERUNT DE PAPINIANO
IC. Balduinus, Vesenbecius, Cujacius & Le.
ctius : pari omnes industria & fide : & vitam
mortemq; vthominis Magni æquè extulerunt ,
eademq; hætenus & constans omnium bonorum sen-
tentia fuit. Solus Iohannes Bodinus famam tanti nomi-
nis à morte contraxisse maculam temeritatis & insipien-
tiæ scribere ausus est ; suntque alia nonnulla ab eodem in
vulgus edita nequis prima fronte in Venere scandalium
hic reprehendi statim arguat, in quibus & iudicium & fi-
dem prudentes & Reipublicæ professionisq; suæ amantes
merito requirunt. Verum ut hæc aliorum industriæ & ocio
relinquo : ita illud à nemine hucusq; tractatum, à Lectio
levi saltè manu tactum, aggredi, conveniens magnis
Papiniani meritis & in re tanta quod dicitur *ἀναξιπὸν ἀνωπῶν*
existimavi. Nam si quemadmodum Nobilissimus Scali-
ger Pater inquit Barbaræ quoq; nationes publicis scitis
servorum etiam sepulcra religiosa esse voluerunt, quibus
honoribus Sapientum nomina decorare satis : qua religio-
nis pietate erga illorum monumenta defungi poterit
animus non ingratus ? Agitur de Parricidij excusatione,
quam Papin : nunquã justam aut necessariam esse posse
putavit. At vero etiam illi ipsi, qui Præceptorum generis
humani & parentum totius Reip. literariæ, majestatem,
auctoritatemq; lædunt ac minuunt : & qui dum amplius hi
loqui non possunt, vel invidia vel cæca æmulatione famã

A 2 memo

memoriamq; eorum proscindunt & jugulant, publici
parricidij accusari P. Ærodiο gravissimo iudice possunt.
Quare & hanc à temporibus nostris labem abstergere &
Papiniani memoriã ab interitu vindicare operæ precium
putavi. Is verus Papiniani honos ea magno I. C. ordini
debita à conjunctissimo quoq; pietas, ad exemplum perti-
nens hujus ætatis, vt in hac immoderata libertate & licen-
tia dicendi & faciendi quilibet, de inventoribus Sapien-
tiæ Civilis & Præceptoribus generis humani discat pars
melior cautius & frugalius loqui. Præclarè Romani, qui
MODESTIÆ admoneri populum & CLAUDI LUS-
DUM IMPUDENTIÆ aliquando publice edixerunt.
Neq; dubito quin omne id, quod ex Papiniano amavis-
mus, quodq; mirati sumus, quemadmodũ de socero suo
Tacitus meus scribit, mansurum sit in animis hominum,
perennitate temporum fama rerum. Multos certè veterũ
et recentium, velut inglorios et ignobiles oblivio obruet
Papinianus posteritati narratus & traditus superstes erit.

Habes benevole Lector scriptiōnis & editionis meæ
causam. Tui rursus muneris erit, de animo & conatu hoc
meo vindicandi famam benè meriti præceptoris candidè
judicare: deniq; sic existimare, cum multa memoriæ tanti
viri debeantur, tui hoc cum primis merita ejusdem
præclarissima suo quodam jure sibi vindicare

Vive vale: & si quid novisti rectius istis.

Candidus imperti, si non, his vttere mecum.

Petrus Heigius, D.

QUAE AD MODUM REGVM IMA-
gines eminus intueri, de q̄ iisdem pauca & raro loqui
conuenit, & si necessitas Regiam ad eundi urgeat,
in vestibulo h̄erere, aut comitem ducemq; sibi aliquem
pr̄cipuum adjungere, qūm oculis in Solem ipsum con-
jectis eiusdemq; splendore pr̄strictis in periculum facultatis videndi
venire potius ducitur: Ita & mihi venturo ad magnorum Principis
pum stupenda penetralia, ipsas videlicet Imperatorum Romanorum
constitutiones debet operis ingressum & interpretationis januam
Papinianus splendidissimus pr̄bere. Admodum breue cert̄e confi-
nium Regum & consiliariorum illustrium est, & magnis de causis
ex omnibus juris nostri auctoribus Papinianus ad id, quod nunc agis-
mus seligendus videtur. Etenim Alphonso Regi Sapientissimo
placuit Regum Consiliarios aut Reges esse, aut Regum animos habere
oportere: vsuq; jam pridem compertum est, nullum majus boni impe-
rij instrumentum esse, quam bonos amicos, & ex horum affectionis
bus & studijs, de impenetrabilium principalium animorum recessibus
conjecturam facile fieri. Imo meliorem esse Rempub. & prop̄-
tutiorē in qua Princeps malus est, ea, in qua sunt amici Principis
pis mali: Siquidem vnus malus potest à plurimis bonis corrigi, multi
autem mali non possunt ab vno quamvis bono vlla ratione superari,
deniq; melius creditur vnum malum pati quam multos.

Papinianum verò quid ni ex tam magno amicorum Principis
lium numero ducem asciscamus? quem Spartianus juris asylum &
doctrinae Legalis thesaurum: Lampridius omnium ferè juris aucto-
rum, quorum nunc monumenta habemus, pr̄ceptorem & magis-
trum nominat; & quem sapiens antiquitas adeò venerabatur, vt

A 3 - studiosos

studiosos juris Papinianæ appellari, eiusdemq; memoriam peculiaris
diei festiuitate & leticia celebrari iuberet; Theodosius Imp: inter
pares auctorum sententias prætulit omnibus, Iustinianus deniq;, etsi
hoc postremum imminuit: tamen quoad cætera honori illius vt viri
splendidissimi & sublimissimi præfectory non tantum nihil detraxit,
diei illius festiuitatem & memoriam illibatam conseruans, sed &
integrum penè Papinianum, quod in nullo præterea juris auctore fece-
rat, inter digesta & edita à se antiquorum IC, monumenta nobis re-
liquit.

Proinde & nos in his Scholis Civilibus cum Sipienti antiqui-
tate Papinianæ festi renouare memoriam, & præceptori de studijs
nostris optimè merito, à quo tanti boni initia fluxerunt,
gratias agere, eiusdemq; nomini, quod quasi literarum Ciuilium pro-
prium, usurpatum apparet, cum summa dignatione semper assurgere
debemus. Veneremur inuenta Sipientiæ, in ventoresq; tanquam
multorum hereditatem adire iudet.

Principio igitur Iulius Paulus IC, & Iustinianus Imp: Æmili-
um Papinianum IC, hunc nostrum vocant, & in quodam epitaphio
à parentibus Hostilio Papiniano & Eugenia Gracili Æmilius Iu-
lius Papinianus appellatur. Et de gente genere vel familia Papiniani
argumentum illustrius non extat, quàm quod Spartianus ait quosdam
tradidisse affinem eum Severo Imperatori per secundam vxorem
fuisse. Fuit hæc secunda vxor Iulia ex Syria, ideo, quod id genitu-
re attestantibus mathematicis haberet, vt Regi jungeretur petita,
Getæ mater, cuius soror nepotem postea habuit Alexandrum Seve-
rum Imperatorem. Ex quo potest colligi, Papinianum hunc nos-
trum Syrum fuisse. Et sane quamvis Virtutem cuiusq; magis quam
patriam

patriam existimari & ponderari oporteat. Nerva Imperatore
judice: cuius, veluti & Traiani, Alexandri, Aureliani & aliorum
Imp: etate compertum est, non indigenarum tantum sed & adve-
narum & externorum virtute imperium crevisse, quorum & pru-
dentia monstrat.

Summos posse viros & magna exempla daturos

Vervecum in patria crassoq; sub aëre nasci

Tamen quia plerumq; & plantarum semina & mores hominum
ad regionis habitum respondent, & ut Vlp. noster inquit, interdum
natio servi aut provocat aut deterret emptorem, non videtur hæc
pars negligenda. Certè Syris non deesse ingenia Vlpianus IC. locus
ples testis est cum Imperatore Alexandro, sub quo maxime studia
civilia floruerunt, & clarissimè constitit potuisse, naturâ quæ ubiq;
vna Mater est, bonum virum & Principem ubiq; nasci. Levitatem
deniq; Asiaticis & Syris à quibusdam objectam de facilitate mo-
rum & humanitate æquiores interpretes acceperunt, eorum deniq;
avariciam repentina profusione mutari Firmicus Maternus do-
cuit.

De nascendi tempore propterea quod epitaphia, quæ vulgo ex-
tant, variant, & verisimile est Papinianum tantis laboribus & ho-
noribus perfunctum Seniore, quam illa præ se ferunt fuisse, certi
nihil habeo, neq; ulterius inquiri, ad ea quæ in vita ille laudabiliter fe-
cit & propter quæ memoria illius semper sancta habita est properans.

Tradit autem Spartianus Papinianum hunc nostrum cum Se-
vero professum esse sub Scævola, sub illo videlicet Scævola, qui Cer-
bidij nomine in Pandectis celebratur, cuiusq; & auctoritate & pe-
riculo in dictando jure M. Antoninus Imp: cognomento Philoso-
phus

phus, esse Capitolino præcipue est usus. Tanti viri & præceptoris discipulus Papinianus fuit. Hujus doctrinam & institutionem tanti ille fecit ut parum admodum se profecturum speraret, si lecta tantum Civilis Sapientiæ præcepta, ac non simul etiam audita voce magistra fidelissimis animi nuncijs oculis & auribus hausta, intimis animi penetrabilibus mandaret, erroremque quorundam argueret, qui hodie privata opera & secretioribus tantum studijs, thesauros Civiles se consecuturos autumant, pro quibus deinde carbones se reperisse sero deprehendunt; quique docere quam discere, audiri quam auscultare malunt, genus profectio hominum ejusmodi, quod raro pervenit ad frugem & in tenebris natum lucem fori egre sustinet, imo ex fulgore & luce quam falso sibi & alijs persuaserat fumum tandem dare consuevit.

Legendi sane semper occasio est, audiendi non semper. Et licet acriora sunt quæ legas, altius tamen in animo sedent, quæ pronuntiatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis affingit & ut hominis ortus ex utroque gignentium confertur & frustra sparguntur semina, nisi illa præmolitus foverit sulcus: ita Jurisprudencia coalescere nequit, nisi sociata tradentis accipientisque concordia. Mitto amicitias quæ in Scholis & auditorijs contractæ ad senectutem usque firmissimè durant, religiosa quodam necessitudine imbutæ. Neque enim est sanctius sacris iisdem quam studiis initiari.

His jactis fundamentis & omnibus legitimis arcanis referatis neque ignavo ocio dedit sese Papinianus noster, neque quæ acceperat occulta vit, ut invidit hominum generi, sed auditorium re & fama postea celeberrimum aperuit, tanto cum fructu, ut ex ejus Schola Lampridius Alexandr: Imp: is familiares & socios IC. præstantissimos prodijisse dicat Ulpianum nempe, Paulum, Poponium, Alphe-

num

num, Africanum, Florentinum, Marcianum, Callistratum, Hermo-
genem, Venuleium, Triphonium, Metianum, Celsum, Proculum &
Modestinum, qui & ipsi deinde jus docendo & scribendo egregie illu-
strasse leguntur. Et quidem profitendi iura Civilia consuetudo in
libera Rom. Rep: varior erat, & scientiam nobilissimam Princi-
pes Civitatis adepti tanquam in possessionem suam venerant, exclu-
dere ea alios conabantur: quique plurimum poterant, eos nullum sibi
tempus ad docendum seponere sed eodem tempore & discipulis satis-
facere, & consulentibus solitos præter Pomponium nostrum Cicero tes-
tatur, qui similiter Q. Mucio Scævola respondenti de jure se ope-
ram dedisse refert. At post occupatam ab Augustis Remp: cum
ibi in consilio habere, & ad summa Reip. munera ad habere IC. inci-
perent, editisque de jure Constitutionibus & decretis Imperialibus
pomeria Civilis Sapientiae longe latèq. proferrent, ejusdemq. studiosi
viri Prætorij ab Imperatore Adriano consecuti essent, ut quod Aus-
gustus, quo major Juris auctoritas haberetur pro beneficio quibusdam
tribuit, responsa videlicet consulentibus edere, omnibus, qui fiduciã suã
haberent, liceret, tunc demum, ac præsertim motis inter Labeonem &
Capitonem notissimis certaminibus magno ubiq. numero Juris pro-
fessores & auditores operam mutuam docendo discendoq. invicem
præbuerunt, & ad tantum, quantum nunc videmus honorum & Mag-
nitudinis fastigium studia sua extulerunt.

Neg. verò IC. noster auditoribus & consulentibus tantum uti-
lem se præbuit, sed ut fructus ad plures pertingeret, scribere etiam ag-
gressus est, neq. doctissimorum neq. indoctissimorum judicijs ab insti-
tuto deterritus. Et certè magnis de causis ille & foro & Scholæ
utilem se præbuit, & quæ præsertim stylo complecti voluit. Nam
B Scholæ

la & auditoriam ut fida causa, ita res inermis innoxia est; nec minus felix ijs qui in eo vitæ genere consenuerunt. At proprius quidam est fori profectus alia lux alia veri facies veras hic lites, & minime steriles terimus, & plus quidem vsus sine doctrina quam citra vsu doctrina valet.

Neg. reprehendenda hodie eorum industria, qui scriptis & doctrinae & vsus gratia exaratis Reip. prodesse conantur: neg. in ea re scripta didactica à suasijs sive prudentum responsis separanda ut aduersus Picum & Alciatum Decianus & Lancelottus, nuper demonstrarunt. Vtriq. studio, labore & reuerentia posterum laudem mereantur posteritatis: eademq. ratio uti multos in lucem famamq. protulit: ita non paucos è tenebris & silentio protulit. Imò hoc modo jurisprudentia in melius producta, adolevit, & ad consistentem nostramq. demum etatem producta varias temporum emensa vices adhuc boni & equi professione letatur & floret: deniq. tunc jurisprudentia honor & omnis rei bonæ conatus desinet, postquam scriptores egregios & parentes generis humani eorumq. inuenta laudare ineptum putabimus.

Et scripsit quidem Papinianus de iure tam publico quam privato; Singularem cum primis librum ἀσυνόματον μονόβιβλον, cuius fragmentum est in l. vni: D. de via publ. cum apud Græcos ἀσυνόματι vos carentur magistratus qui curam gerebant viarum publicarum. Questionum libros 37. edidit. Responsorum 19. Definitionum duos. De adulterijs totidem & vnum singularem In questionibus sane & responsis maximam Civilis prudentia partem contineri res ipsa docet, & vbiq. illum officio boni viri & Icti. in respondendo & tractando iure perfunctum monumenta quæ habemus loquuntur.

In

In quaestiones Ulpianus in responsa simul & quaestiones Paulus, Marcianus in lib. de adulterijs quemadmodum in aliorum IC. libros alij Icti. notas scripserunt: neq. fide omnes pari neq. fortuna simili vsi. Nam quod Caelilius dicebat; Obscuritates non assignandas culpa scribentium sed inscitiae non assequentium: & res ipsa docet sepe, non statim melius dicere eum, qui reprehendit acrius: id hic quoq. verum esse apparuit. Vnde ipsemet Paulus IC. in l. debitor 82. §. fin. de lega 2. aristarchi cujusdam ad Papinianum notas ut columniosam annotationem reprehendit & Theodosio II. Imperatori adeo nota illa displicuerunt vt in l. I. C. Theod. de responsis prudentum constituerit Notas Pauli & Ulpiani in Papiniani corpus factas infirmas, quemadmodum & constantino Imperatori in l. vl. C. de sentent. pas. & restitu. placuisse videmus. Nihilominus tamen Iustinianus noster notas non omnes abolevit, sed multas retinuit, ne propter rei bonae abusum, vsu meliorem tolleret, cum ipsomet Papinianum videamus adeo sibi non indulsisse quo minus secundas cogitationes primis praeferreret Ipsum quinimo non pudet fateri se variasse in l. si venditor §. ul. de seruis exportandis & Iustinianus ingenua hac confessione adeo delectatur ut posteriorem veluti meliorem Papiniani sententiam Constitutione sua disertè confirmet in l. vl. §. sed cum penulti: C. de furtis. Constat preterea & Iulianum Scaevolam & Ulpianum variasse & mutasse sententiam l. tutori 19. ad SC. Velleia. l. qui bona 23. de acquir. ren. domi. j C. de emendat. Cod. Iustin. Neq. id quisquam mirabitur qui quanta cum difficultate in hac miserabili erratione absente superna luce inveniatur verum secum reputabit & ideo sapienti non tam semper idem dicere quam idem spectare conuenire cogitabit: maxime, cum ipsos Impp. non pudeat leges suas corrigere. Ac tantum
abest

abest ut reprehensionem variatio ista mereatur, ut optandum potius sit plures esse qui Papinianum hac quoque in parte imitentur, quam pertinacia tueri per se verent quod ratione non possunt obtinere. Scripsit & definitionum librum singularem exemplo Quinti Mucij Scaevole, quem in simili argumento ἰσχυρῶς laborasse constat. De aulterijs diligentissime tractavit quod in ijs puniendis gnave operam se verum meminisset, quomodo Dion tria millia aulterorum tunc in iudicium pertracta fuisse commemoravit.

Id habet preterea singulare, in suis libris Papinianus quod eadem cum primis placet priscis uti verbis, quod proprietates verborum anxie inquirat & subtiliter examinat, sic tamen, ut aequitatis nihilominus habeat rationem.

Denique si qui sunt libri IC. qui interpretem merentur, hi certe honore isto digni sunt maxime: propterea quod ut supra dictum est Justiniano vel potius Triboniano placuit integrum penè Papinianum nobis relinquere.

Neque hic longior esse volo sed à professione & scriptione tam celebri, tam fructuosa ad munera quae in Republica Papinianus noster sustinuit transeo. Nam ubi satis auditoribus vacaverat Papinianus tempestivum existimavit Remp. attingere, haud probans Philosophastrorum illud trivium verbum λάβε βιώσας: sed, ut veram non simulatam professus Philosophiam, à re inermi & pulvere ad veras lites & ipsam fori aciem lucemque hominum clarissimorum ascendens; eaque in re non tam Magistratum virum quam ipsum virum Magistratum ostendere, & ad bonum Reip. praeclarè utrumque acceptam sententiam, Epaminundae iudicio, consentire ostendit.

Ac

Ac primum Spartianus Papinianum Septimio Seuero in ad-
vocatione Fisci successisse scribit. Fisci cura praefectis ararij, Pro-
curatoribus & rationalibus diutissime commendata erat, & licentia
procuratorum & delatorum in immensum creverat, ut nunquam fis-
ci causa mala videretur.

At Traianus Imp: pari jure fiscum & privatos uti voluit, imo
tum saepius illum quam hos vinci contigit, ejusdemq; successor Adria-
nus primum fisco advocatum dedit; qui nempe causis fiscalibus inter-
veniret, & delatorum intentiones exequeretur, vel sponte sua defici-
ente alio accusatore accusaret. Hic vero quam grave munus
Papinianus sustinuerit ex temporib; quibus vixit aestimari potest.
Si enim, ut verisimile est, sub Commodus Imp: advocacionem subijt,
quid illum putamus interea egisse virum presertim & IC. bonum re-
rum potiente malo principe, & periculosissimis imperij conversionib;
mox secutis, cumq; paulo post sublato Pertinace Imp: tres aut quatu-
or gladiatorio animo ad imperium grassarentur, & Severus Imp: sa-
nus & avarus esset, numiumq; Plautiano indulgeret. Credibile est il-
lum saepe dubitasse utrum fisci favorem aequitati praeponeret, & in
dubijs causis fisco patrocinaretur. Veruntamen dubitatio ista virum
bonum a recto ne transversum unguem quidem decedere coegit, quem
admodum aequissima ipsius & discipulorum de jure Fisci responsa
quae extant probant & cum primis l. non puto 10 l. deferre 18. §.
Papinianus 4. & l. pen. de jure fis. l. eum qui. 18. in princ. de his qui-
bus ut indig. C. cum similibus, ad quos locos cum librum penè singu-
larem ea res postulet, digitum intendisse sufficiat.

Hoc munere laudabiliter perfundus Papinianus Libellorum
Supplicum Magister factus est teste Triphonino ICto. in l. rescriptum

12. C. de distract. pigno. Nam cum sub Tyberio Imp. mos invaluisse Principem quamvis presentem scripto adire, necesse fuit constitui, qui scripta & libellos ejusmodi acciperent, & relatione ad Principem facta recte & convenienter responderent & subscriberent: atq; ita Adrianum Imp: ab epistolis & à libellis primum equites Romanos habuisse legimus, & Paulum Ulpianumq; ad memoriam & libellos paruisse, Arcadium Charisium IC. deniq; hoc officio perfunsum ex inscriptione l. Unica de offi. prefect. pratorio constat. Videntur autem & Quæstores & qui magistri erant Scriniorum principis hoc munus sustinuisse. Nam & illi veritatem precum & libellorum rimabantur, ysdemq; subscribebant, si justa ratione niterentur, unde precum arbiter & legum conditor Quæstor dicebatur. Item lingue Regiæ & Legum vox & Principis fidus interpretes ut Francis. Juretus ad Symmachum annotavit.

Porro quis non videt insignem scientiam juris cum prudentia politica conjunctam in hoc arbitro precum supplicium requiri ne contra jus vel utilitatem publicam aliquid concessum e ventus stultorum magister serò declaret & arguat. Et solebant quidem litigatores libellis suis prudentum seu IC. responsa inserere, ut ea Impp: suis rescriptis vel confirmarent, si probarentur, vel rejicerent, si rejicienda viderentur: unde non unquã accidit, ut Impp: rescripta eadem verba habeant quæ IC. responsa ut bene Perenonius observavit. At Papinianus noster haud opus habuit ejusmodi monitoribus, quippe qui eius ætatis IC. omnium Princeps re & fama esset.

Certe fidelit mente & opera ipsum. subscriptionibus vacasse rescripta à Severo & Antonino Caracallo publicata probant. Idem & alijs de iure deliberationibus Principum suorum ut plurimum interfuit,

ter fuit, postquam Impp: Romanis, de causis privatorum judicanti-
bus IC. precipue in consilio habere placuit, & hoc modo suorum
quidem Principum veluti assessor fuit, tanta cum auctoritate, ut
ejus sententiam alijs consiliaris etiam refragantibus Impp: saepe se-
querentur, quemadmodum Paulus IC. qui istis cognitionibus intero-
fuit & memorialis officio fungens dictata excepit, libris decretorum
principalium docet: maxime verò in l. Clodius 97. de acquir. hered.
& l. ul. de jure fis. Ac quamdiu tam fideli consiliario Principes
Romani utebantur, de jure æquissimè rescribebant, & licet vitam
vitæ inquinatissimam agerent, jus tamen incorruptè dicebant. Nam
Xiphilino teste Severus summa luce vel jus dixit vel judicavit dili-
gentissimè & litigatoribus tempus ad dicendum, quod satis esset, be-
nigne largitus est, suisq; assessoribus summam in dicenda sententia li-
bertatem dedit, idq; patris sui exemplum Caracallus degener alioqui
filius secutus est, documento insigni & memorabili relicto: posse etia-
am sub malis Principibus magnos viros esse: obsequiumq; ac mode-
stiam, si industria ac vigor adsint, eò laudis excedere, quò pleriq; per-
abrupta, sed in nullum rei post usum, ambitiosa morte inclaruerunt.

Postquam verò Papinianus tam evidenter fidem & industri-
am Impp. probasset, dignus tandem judicatus est, qui præfæcti Prætor-
io summi videlicet in Rep. Romana magistratus post Principem dig-
nitate & auctoritate ornaretur.

Magistratus hic origine humilis primum, postea ad tantum
euehi fastigium cæpit, ut præfæcti prætorio Patres dicerentur imperij
& provinciarum, & summam obtinerent judiciorum potestatem.
plenissimumq; imperium etiam in Senatores, quibus deniq; Imperato-
res tantum indulserunt, ut ab eorum sententijs appellaciones prohibe-
rent

rent. Nam ut Charisius IC. retulit credidit Princeps, eos qui ob singularem industriam explorata eorum fide & gravitate ad huius officij magnitudinem adhibentur, non aliter iudicatuos esse, pro sapientia & luce dignitatis suæ quam ipse foret iudicatuus. Licet autem initio planè militaris fuerit & exercitibus destinata hæc præfectura Prætoriana Tamen postea Civilis & togata quasi facta est, cum eam etiam Senatores adipiscerentur: adeoq; postremum nobilitata ut ex ea Imp. Romani legerentur: Imo in huius potestate Principum Romanorum nova designatio, dignitas & salus esset. Erat præterea Præfecto prætorio familiare ut vice Sacra sive loco & nomine Principis iudicaret, & sacrum eius auditorium regeret. Proinde & assessoribus suis utebatur, atq; hoc est quod in l. lecta 40. Si certum petet: Paulus IC. scribit in auditorio Papiniani cautionem quandam lectam & examinatam esse, & quod in l. 3. §. 3. de Usuris Papinianus ipse refert se præfectis prætorio suasisse, quomodo & alios magistratus assessores ICos. habuisse constat.

Iudicabat porro præfectus prætorio de causis tam Civilibus quam Criminalibus cum mero imperio & gladij potestate Annotatu dignum est, quod Traianus Imp. cum primum, ei qui prætorianis militibus erat præfuturus gladium porrigeret, quo eum accingi oportebat, nudum porrigens dixit: Accipe gladium, quem pro me, si bene atq; ratione imperauro dstringes: si minus, eo ad interitum meum utere. Narrat Xiphilinus sub præfectura Papiniani nostri quendam Bulam seditionis ducem collecta sexcentorum latronum manu in media Italia magnas turbas dedisse, captum deinde & ad Papiniani prætorianum tribunal deductum, cum superbissime respondisset ad bestias damnatum esse: quo forte respexit Callistratus in l. capitalium 28. §. ult.

S. Vlt. de panis scribens à non vllis famosos latrones ad bestias damo-
natos esse.

Idem Papinianus durante hac præfectura cum Severo Impera-
tore, etsi multa omina adversa essent ad divisos à Romanis toto orbe
Britannos, & compescendos eorundem novos motus profectus est.
Neq. dubium est in hac expeditione in Papiniano insignem animi
magnitudinem præcipuè eluxisse, cum Dio narret quinquaginta Ro-
manorum millia tum interisse, nec tamen deterritum Imperatorem
aut præfectum, quin triennium continuum ibi commorarentur, & de
jure nihilominus interim rescripta expedirent, quemadmodum Consti-
tutiones in Britannia scriptæ & in Codicem nostrum relatæ docent.

Moritur dehinc Severus Imp: sed ita ut Papiniani nostri si ve
tutelæ si ve Curæ non Remp. modo, verum etiam filios suos committe-
ret, quemadmodum disertè Spartianus ait IC, & præfecto huic præci-
puè utrumq. filium à Severo commendatum, utpote quibus simul à
patre erat imperium destinatum, & milites fidem æquè promise-
rant.

Sed nihil cautio Patris, Matris quinetiam aut Papiniani nostri
solicitude diligens valuit, & similtates jam dudum animadversa, &
auctoritate Severi patris compressæ, eo mortuo in aperta statim odia
eruperunt, sic ut diversis itineribus fratres ex Britannia Romam
contenderent, & Antoninus Caracallus imperium præoccupare stu-
deret. Certatum interea est mutuis odijs & insidijs variè eò usq.
ut desperato insidiarum successu Caracallus irrupto per insidias
fratris cubiculo. Getam nihil tale expectantem, & in sinu matris
hærentem vulneraret, & sanguine ad matris pectus effusò vitam
cum morte commutare cogeret. Hæc deniq. res occasionem nobis

C

alterius

alterius Orationis huius partis de Morte Papiniani subiicit. Namq[ue] perpetrato t[ame]n inmani parricidio cum Caracallus illud varijs artibus, & inter eas religionis falsorumq[ue] rumorum velo & in milites ingentis pecunie profusione te gere & excusare studeret, & ut fidem dictis factisq[ue] faceret majorem Papiniano cum primis mandaret, ut & in Senatu per se & apud populum exquisita Oratione facinus dilueret, is vero recusando quod mandabatur responderet. Non tam facile parricidium excusari quam fieri, Imperator hac veluti contumelia affectus in conspectu suo eundem contra jus & fas omne interfici iussit.

Talem exitum Papinianus hic noster habuit: dignus fortè vita longiori vel morte celebriori: Sed si verè judicare volumus, neq[ue] vita illi diuturnior neq[ue] mors celebrior optanda fuit. Quippe hinc nova de altera Papiniani vita dicendi materia oritur: quomodo etiam post mortem in hominum animis semper vivere ipsum & vige re quam florentissimè contigit. Neq[ue] verò committendum est, ut sine laude vel silentio factum hoc insigne transmittamus: multo minus elevare aut minuere hominis splendidissimi dignitatem constantiã fidem & pietatem sub obtentu scientiæ cuiusdam politicæ debemus: in quo Ioannem Bodinum de Rep: lib. 3. cap. 4. fortè an industria haud dixerò impegisse apparet, dum in Papiniani respons[us] sapientiam se desiderare majorem attestatur. Et quia de re agitur maxima, & quæ aliorum errorum familiam secum ducit, & ad exemplum pertinet, nostri muneris est, optimi præceptoris memoriæ vindicias secundum Libertatem reddere, eidemq[ue] quod intota vita habuit pulcherrimum sub falsa specie ademptum restituere, simul etiam in de promanantibus fecundis

*fecundis erroribus ne latius serpent obviam ire, & de periculo novarum
& rara a vide legentes admonere. Verba autem, ut de cenura Ar
starchi hujus judicium sit facilius, sic se habent.*

Cum Reipublicæ morbis ac principum peccatis mederi
constantia non potest, præstat aliquid indulgere, quam Reip.
vulnera à Principibus illata exacerbare, eosque ab infania
ad furorem adigere, uti Papinianum fecisse legimus. Hunc
enim ab Imperatore Severo filiorum & Imperij Romani tuto-
rem datum Imperator Antoninus Caracallus iussit parricidi-
um patris excusare, Papinianus recusavit, cum diceret parricidi-
um difficilius excusari quam admitti. Fortiter ille quidem
magis quam Sapienter. Nam Caracalla furens ac fratris
cruore nondum satiatus Papinianum occidi mandavit, ac post
tanti viri occasum, qui solus hominis impetum regere ac furen-
tem audaciam reprimere potuisset, cadibus & crudelitate non
prius destitit, quam se ipsum cum imperio perditum iret.
Quod sic à nobis dictum velim, non ut hominis divinissimi
laudes egregias ulla sui parte minuerem: illud enim fieri
nullo modo potest, sed ut magistratus intelligant, quatenus
peccata Principum quæ auferri non possunt, ferre debeant.
Non debuit igitur Papinianus tanto viro id est, seipso Reipubli-
cam orbare sed Principi vel potius suo dolori indulgendo sibi
Reipublicam ac seipsum Reip: servare. Hactenus Bo-
dinus.

*Et potuisset ille quidem pluribus opinionem hanc suam
exornare. Nam nihil est hodie neque fuit unquam tam infans
dum, quod oratione non possit splendescere nullumque tam*

C 2

impus

impudens mendacium quod approbatore & teste careat. Ergo dicere forte aliquis non Aurei illius antiquissimi & nobilissimi, sed a Florentino scriba iustituti spurij & Maculo si velleris heros & pelle agnina tectus lupus Principibus ut cætera omnia adsint, prosperam tamen sui memoriam & dictorum factorumq; suorum iucundam recordationem comparandam, & quæ prævè gesta sunt, vulpina cauda sub nomine celebri, per imaginem justitiæ tegenda esse, Crudelitatis etiã excusationem, quæ finem laudabilem conservationem scilicet Reip: propositum habet, non improbandam esse: quomodo & Cicero scripsit non esse habendum religioni contrariũ nocentem aliquando & nefarium impiumq; civem defendere: & Clemens Quartus Pontifex cum IC. sui temporis consilio communicato Cunradinum Regem bello captum vnicum nobilissimæ familiæ Suenicæ columnen si occideretur vitam fore Caroli designati nuper beneficio Pontificis Siciliæ Regis censuit. Ioanni porro Burgundiæ Duci non tantum suaserunt consiliarij, ut comosdam occidendi Ducis Aureliani cognati sui occasione captaret, sed & occiso illo inventus est Parisiensis quidam doctor Ioannes Parvus dictus, qui cædem injustissimam insulsa & infami oratione in corona illustrium virorum perfricta fronte defenderet. Nec desunt exempla alia, ubi quesitis scelerum patronis addidit inualidæ robur facundia causæ. Ipse quidem Caracallus satis & impudens & disertus erat, & huius rei specimen in eodem argumento jam per se ediderat, sed majore patrono indigebat, cum maximè factum negari, aut infectum fieri, aut deniq; aliter quam excusatione commoda tegi non posset.

Platonis & Xenophontis sententia fuit: Magistratibus non aliter quam Medicis adversus pueros & ægrotos mentiri licere, &
Aristoteles

Aristoteles ipse deceptionibus & sophismatis adversus populum in Republica locum dedit. Neque igitur dicet Papiniano mastix aliquis committendum viro tam insigni fuit, ut tanta cum pervicatia recti prævalidis iam vitijs & adverso flumini se opponeret, & malam licet causam, tanto cum suo & Reip. periculo desereret, vel auctoritatem ordinis sui destrueret: danda imo opera fuerat potius, integrum ut mansisset, si quando Respublica consilijs ipsius eguisset: quam ut apparuisset, quibus vitijs par esse non potuisset. Meminisse forte debuerat temporum suorum quibusq; modis temperanter haberentur ingenia eorum, quibus summa rerum commendata erat, ulteriora mirari, præsentia sequi: neq; saltem Valentia sed etiam Sapiencia navem torquere clavumq; Reip. tenendo non rectum semper urgere sed temporibus obsequi. Ita Catoni vitio datum, quod, veluti in Stoa Platonis ac non potius in face Romuli versaretur, crebris contradictionibus frustra his, qui plus in Rep. pollebant, se opponeret: neq; vel Scævola, Ciceroni, Cassio Longino, Cocceio Neræ Thraseæ Peto, Ulpiano, Thomæ Moro & similibus paucis bonisq; viris & IC. perfectis, libertas dicendi, verum alium exitum quam exitium attulit.

Melius ve Titus Pomponius egit? omne ferens punctum dum miscuit utile dulci. Is certe in Rep. ita versatus est, ut semper optimatum partium & esset & existimaretur: neq; tamen se Civilibus fluctibus committeret, quod eos non magis in sua potestate existimaret esse, qui se his dedissent, quam qui maritimis jactarentur. Ita Marcus Lepidus imperante Tiberio vir gravis & sapiens existimatus plerumq; ab sævis adulationibus aliorum in melius flexit, neq; tamen temperamenti egebat, cum æquabili auctoritate & gratia apud Imp. vigeret

geret, possitq; ex magno numero penè solus in offenso pede inter abruptam contumaciam & deforme obsequium pergere iter ambitiosæ ne & periculis vacuum. Scribit Plato ad Dionis propinquos: Virum bonum ita reprehendere debere Ciuitatis errores, si neq; frustra sit reprehensurus, neq; ob reprehensionis studium periturus: ac, tum deniq; quietem & vota magis quàm rei bonæ conatum suadet: quandoquidem tunc votorum præcipuus locus est, cum spei nullus est: Quædam imo virtutes odio sunt: Se veritas obstinata, in victus aduersus gratiam animus: & coacti sunt apud Athenienses Ostracismum apud Syracusanos Petalismum viri etiam boni sufferre. Deniq; quod de salute patriæ & Reipublicæ omnibus alijs reb. anteferenda dicebatur, sic quibusdam arrisit, vt in communi naufragio sapientem etiam cum alterius perniciæ suæ incolumitati studere & posse & debere sentirent: & si quando mors subeunda esset, potius existimarent hanc per αὐτοχρησίαν præoccupare, quàm à tyranno inferendam domi expectare.

Atq; hi sunt susurri dominantibus adblandientium, neq; nostræ aut patrum memoria primum editi sed origine antiquiores. Verum ut ut se ista omnia habeant, & quamvis, plura in eandem opinionem afferri possent: quomodo interdum etiam optimæ causæ similes sunt malis & innocens reus multis verisimilibus premitur: Nobis tamen justiciæ Sacerdotio ornatis & Philosophiam veram non simulatam professis Pabinianus defendendus, omnisq; oratio eò perducenda est, ut intelligatur non tantum reprehensione carere IC. & præfecti splendidissimi responsum sed perinde ut Iulium Sydus micare inter omnia & gloriam omnium à se gestorum multis intervallis anteire. Testis locupletissimus huius nostræ sententiæ est primum ipse Spartianus, cui & gratiam pro

gratiam pro historia hac tota potius quam Dioni IC. nonnunquam ini-
quiori, debemus qui apertè scribit Papiniano per se & suam scientis
am magno ex isto indignissimo supplicio dignitatē accessisse maiorem.
Quemadmodum enim boni Poëta & actores industrij solent: Ita hic
noster, extremum actum muneris & negocij sui perfectissimum & or-
natissimum esse voluit. Laudatur L. Vetus quod ante damnationem
Neronem placare noluit blandiendo ne vitam proximè libertatem
actam no vissimo ser vitio fœdaret: sed magis laudandus Papinianus ut
excelsiore loco & in periculo majori constitutus: cum præsertim faci-
le illi fuisset indestruendo Caracallo sua extollere consilia aliasq; mire-
rationes, quibus non tantum incolumitatem sibi ser varet, sed & impe-
rium magno cum Reip: bono arriperet, quemadmodum successorem
ipsius in præfectura & IC. Opilium Macrinum fecisse constat, tan-
toq; magis, quod videret Caracallum sibi infestissimum tam impoten-
tis esse animi & in necem quorumlibet absq; discrimine grassari, &
meminisset temporum, quibus tyrannicidis Brutis & horum simili-
bus insignia præmia pro restituta libertate decreta fuerunt, Verum
noluit vir Optimus odio nocentis perdere innocentiam, & mori malu-
it, quam perduellis videri, gladiumq; quo accinctus à Principe erat
in se converti, quam in Principem utcumq; malum jaclari.
Sciebat hoc esse Regnum, nolle regnare cum possis: & tuto-
rem magistratumque integram & omni lucro abstinentem fide-
dem præstare oportere: quemadmodum Tryphoninus ipsius
auditor scribit & à Rufino & Stilicone sumptas perfidie tute-
laris poenas historia testatur Neque dubitandum, quin senserit

Papinias

Papinianus quam Cicero & alij gloriose passim & prædicabant & scribebant de tyrannicidis, non tam iudicij recti esse quam depravatorum affectuum & intemperantis cuiusdam factionis, cum tota ea quaestio non in vna cognitione posita sit, multisq; & magnis cautionibus contineatur, neq; semper, cum præmio aut eodem omnia fato crimina committantur, & ille quidem crucem sceleris præcium ferat, hic diadema: imo interfecti Principis ultor semper sit quisquis successit.

Solicitem Papiniani animum multa & magna discrimina habebant, neq; illum, quæ consecutura essent, si Principi non obsequeretur latebant: Sed hoc quod fecit potius iudicavit. Passus igitur est potius scelus, quam fecit: quomodo Q. Mucius Scaevola etsi videret fore, quod factum est, difficilimis Syllæ temporibus, eventum tamen expectare maluit, quam armatum ad mænia patriæ accedere, itemq; Cicero postea professus est, se etiam optare exitum aliquem Mucianum.

Verum operæ præcium est examinare ea, quæ Papiniano nostro objecta fuisse supra dicebam. Non debuit, inquiunt, Papinianus animum Principis sui, ubi constantia sua mederi morbo prævalido non poterat exacerbare, eundemq; ab insania ad furorem adigere. Hic vellem Bodinum memorem fuisse eorum, quæ eodem capite ipsemet scribit videlicet utcumq; Principibus minus æqua præcipientibus parendum interdum sit: Tamen si contra divinas aut naturæ Leges quid iubeatur, præstabilius esse Patriæ, bonis, vita deniq; ipsa spoliari, quam fide, justitia, integritate, religione spoliari, quomodo iubente Saule Sacerdotes omnes se præserte necari nemo fuit qui iussa non recusaret, præter unum scelestum Doegum, & Achabo Rege ad Iezabelis uxoris instigationem iubente Prophetas Dei undecumq; comprehensos

Aulae magister nihilominus eos abscondit & alit ut neq. Daniel cum socijs Nabuchodonosori & Dario, Eleazar Antiocho, Apostoli Iudeorum Pontificib. contra Dei legem paruerunt: ac superioribus temporibus Thomas Morus Cancellarius Henrici VIII. Regis Angliae excusationem incesti conjugij recusavit: eiusdemq. argumenti exempla plura afferri possent: nisi nobis sufficeret scire indiuiso Dei & Caesaris imperio Deo potius quam hominibus obtemperandum esse. Noverat Papinianus Marci Aurelij Philosophi Imperatoris dictum insigne: Magistratus quidem ipsos de privatis, principes de Magistratibus, Deum autem de Principibus decernere & iudicare: & ut est in 12. tabulis Rom. iusta magistratum imperia esse debere. Sciebat ad impossibilia Principi suo se non obligatum esse. Porro quae facta laedunt pietatem existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores sunt, nequidem simpliciter facere nos posse, ipsemet Papinianus lib. 16. quaestionum scripserat.

Quomodo igitur idem Papinianus parricidium aduersus Dei & naturae legem excusaret, quod Solon non putabat in hominem cadere posse? Neq. enim de laudibus Moriae, melancholiae, febris quartanae, podagrae, barbae aut comae, asini umbra aut pujicis encomio Papiniano saltem agendum erat. Sed an jus regnandi gratia non tantum violandum sed nefando parricidij crimine manus polluenda essent: ubi caedes semper caedes est & lignonem lignonem appellare bono viro conuenit: non quemadmodum Glaucos & Carneades fecerunt iniusticiam laudare, Helenae adulterium Busiridis Caesaris Borgiae aut aliorum tyrannidem & barbariem supra verum & rectum extollere, & contra sacram auctoritatem malum bonum, tenebras lucem appellare, aduersus

D

vatis

‘Datis Regij elegans carmen excusationes & pretextus in peccatis
querere. An enim obsecro ulla tanta impietas, ullum tantum scelus
est, quod sit parricidio vindicandum. Neq; est quod quis putet in hac
ἀναλγησία & ἀναίσθησία ubi Princeps neq; morbum sentire neq; reme-
dia ferre poterat blanda Oratione eiusdemq; letali mederi furori Papi-
nianum potuisse: & musica potius Lydia quam Phrygia suavi videlicet
quam incitata exemplo prudentum & musicorum gubernatorum:
utendum fuisse. Nam hic cum Platone primum dicimus optandum esse,
ut omnia potius à nobis dissentiant, quam ut animus intra se dissonet,
& hanc exteriorem harmoniam, interiori animi bene affecti concentui
nunquam præferri oportere. Deinde animadverterat Papinianus
Caracallum nostrum ad seviciam & crudelitatem factum, ab adulato-
ribus, contentionum & simultatum fraternarum facibus, sic eruditum,
ut accuratissima etiam opera patris Severi, qui ideo à Spectaculis
utrumq; filium abesse voluerat, ne corrumparentur, & Caracallo præ-
sertim ante excessum suum Orationem Salustij qua Micitisa filios ad
pacem hortatur legendam miserat, non supremis ejusdem verbis, aut
Novercæ tutorisve monitis à nefando scelere revocari nequisset. Insi-
gne quoq; est, quod scelestem hanc cædem Caracallus non jussit tantum,
sed & spectavit Nerone deterior, Domitiano similior sub quo misere-
riarum præcipua pars erat videre & aspici: cum suspiria spectantium
subscriberentur: & denotandis tot hominum palloribus sufficeret se-
vus ille vultus & rubor, à quo se contra pudorem maniebat. Neq;
omittendum quod Francis. Balduinus in hoc argumento præter alia
observavit Caracallum ne eo quidem die quo parricidium commisit,
id est, proximo post mortem patris anno Quinto Kalendarum Mars
tij Aspris

ej *Aspris* duobus consulibus desisse de jure respondere & ad libellos rescribere. Extat enim quod pridie hoc est, Quarto Kalendarum Martij rescripsit in l. 5. C. de procuratorib. sed memorabilius certè est, quod paulo post Quinto Iduum Martij rescripsit, eos, qui alium accusare volunt, probationes habere debere, alioqui eū qui convenitur ab *solvi* l. qui accusare 4. C. de eden. Atqui interea bonus hic legislator non modo sine probatione ulla, sed & sine ullo accusatore, atq; adeo sine crimine, non modo fratrem, verum & præstantissimos quosq; in urbe viros condemnabat & jugulabat, ita ut *Dio* testis oculatus narret viginti milia hominum à *Caracallo* tum trucidata fuisse. Nec sæviciam hanc adversus fratris amicos & qui vel levem cum ipso noticiam habuerant exercuit, sed & *Letum* qui inter suosores mortis *Getæ* erat, & qui præterea cædis eius conscij fuerant omnes interemit, atq; ita, qui modo secretum commiserat, arsit & odit, antequam manum injici in *Papinianum* jussisset.

Et valde falluntur qui excusatione parricidij aut aliorum graviorum scelerum mitigari tam manifestè impij & reprobi hominis animum posse credunt. Vincit certè hac in re opinionem istam veritas: & ut benè *Lucanus* ipsemet acerbissimæ tyrannidis *Neronianæ* spectator cecinit:

nullus semel ore receptus

Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.

Nunquam vera virtus cum semel excidit

Curat reponi deterioribus.

Ita *Tyberium* quanquam triennio post cædem *Seiani* non tempus, preces, satias quæ cæteros mollire solent, mitigabant, quin incerta vel abelita pro gravissimis & recentibus puniret, & *Nero* ad flagitia et

D 2.

scele.

Scelera conuiuentibus Burrho & Seneca velamentis quæsitis haud
mitior factus legitur.

Nemo unquam imperium flagitio quæsitum bonis artibus ex-
ercuit. Quinimò qui semel verecundiae limites transgressi sunt, animos
à crimine sumunt. Et ut maximè interdum optet improbus ad melio-
rem frugem redire: tamen non potest, nocte dieq; suum gestans in-
pectore testem.

Mobilis & varia est, firmè natura malorum
Cum scelus admittunt: superest constantia: quid fas
Atq; nefas: tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus: tamen ad mores natura recurrit
Damnatos: fixa: & mutari nescia. Nam quis
Peccans si finem posuit sibi? quando recepit
Ejectum semel attrita de fronte ruborem
Quisnam hominum est, quem tum contentum videris vno
Flagitio.

Adeo nihil profecturus fuisse Papinianus etiam noster videri
debet, etsi maximè in excusationem parricidij consensisset, vt etiam
veterem defendendo injuriam inditaturus fuisset noxam.

Et quo tandem obsecro Crimine abstinebit Princeps, ubi id non
impunè tantum sibi licere, sed & cum bonarum partium approbatione
fieri deprehendet? Neg, hic quisquam existimaverit, Papinianum
impetum regere potuisse Caracalli, & ne ulterius gressaretur impe-
dire. Nam mox à suscepto imperio & ante illam nefandam cædem
infestum Papiniano Caracallum fuisse ex Dione & Spartiano con-
stat,

stat, & salutaribus ejus monitis jam dudum valedixisse. Ac ut des-
mus potuisse Papinianum occurrere alijs sceleribus; an ideo parricidii
defendere debuit? Ne minora quidem vitia in usum ideo reci-
pienda sunt, quia aliquando aliquid boni effecerunt. Neq. facienda
sunt mala, ut eveniant bona; tantum abest ut ex parricidio fructus
aliquis eliciendus, aut etiam sperandus fuerit. In omnibus enim actio-
nibus non tam malo sed & mali specie vacare virum bonum oportet:
& tam de itinere quam meta, tam quâ, quam quò pergat, sollicitum es-
se. Ac longissime ab animis bonorum faceffere opinio illa debet, quæ
cum Glaucone aut Carneade injusticiam laudari aptè posse putat: poti-
usq. illud cogitandum, nullam efficacem & veram Politiam sine vir-
tute & justitia esse posse; solam deniq. virtutem conservare, vitia
econtra labefactare & corrumpere Rempublicam.

Porro virtutem non verba ut lucum ligna aut nomen inane pu-
tare debemus, neq. cum vulgo virtutes invertere, verag. rerum vocas-
bula omittere.

Ne illud quidem Papiniano congruit, ut illum per tetricitatem
refractarium fuisse, aut per abruptam contumaciam Leonem mordis-
cis veri sale multo radere voluisse & eidem contumeliose parricidium
exprobasse, aliquis existimet: Meliora & mitiora de tanto viro co-
gitare humanius & æquius est. Imò testatur Spartianus Papinianum
postquam Caracallus ipsemet apud milites & Senatum parricidium
excusasset imperatori suo nihilominus adfuisse, & ipsum quidem Ca-
racallum, cum altero die in publicum procederet Papiniano & Chiloni
innixum ad palatium rediisse. Didicerat vir sapiens bonos Imp. p.
optare, qualescunq. tolerare, meliora votis expetere, cogitare difficili-
ma, ferre quæcumq. erant.

Nos certe scriptura Sacra manum super os ponere in magna imperiarum intemperie jubet. Connivendum & tacendum, fugiendum interdum & quiescendum est, Sed ita; ut meminerimus aliud esse connivere: aliud omnino non videre: Numquam ille recte tacet qui appellatus veritate reticet, ita porro fugiendum, ne præter casam; periculosa deniq; quies est, quam inquietissima vulnerata semel conscientia excipit. Est sane cunctis in muneribus iudicio Francisci Oliuarij Gallie olim Cacellarij suus civili prudentiæ locus ac sapienti cuidam dexteritati: sed ita ut eius, quam à Deo immortalis accepimus, libertatis spiritum retineamus, ne à rationis sulco longius aberremus, ne conscientiam nostram vulneremus, quæ ut dulcissimum est innocenti testimonium: sic mala fide versanti, dirissimum est supplicium. Solebat Thræsea Pætus silentio vel brevi assensu adulationes transmittere, patronum vero sceleris egit nunquam. Titus Pomponius Atticus etsi à nonnullis optimatibus reprehendebatur, quod parum odisse malos Cives videretur: tamen imprimis cavuit, ne propensior ad turpem causam esset. Quinimo interdum apud Imperatores etiam pessimos & qui non licentiam modo vitij permittebant, sed etiam vim adhibebant, & ubi dicere quod in re ipsa erat periculosum, quod non erat miserum esset, laus falsa & precibus expressa perinde habebantur ut crudelitas, cūq; tempora illa adeo infecta & adulatione sordida essent, ut non modo quæ pars melior generis humani dicebatur, Senatus, primores Urbis quibus claritudo sua obsequijs tegenda erat, sed omnes consulares, magna pars eorum qui prætura functi, multiq; etiam pedarij Senatores certatim exurgerent, sædæq; & nimia dicerent, tandem & Tyberium Impiillum videlicet qui libertatem publicam nollet, tam projectæ servientis
um patiens

um patientia tædium, cum curia egressus secum diceret. ò homines ad
seruitutem paratos. Laudant Augustum Virgilius & Horatius,
quod sopitis bellis Civilibus restituta pace aureum saculum reduxerit
sed quod arma in Antonium accepta in Remp: vertisset, quod Brus-
tum & Cassium oppressisset, ut sine vituperio, ita sine laude silen-
tio transmittunt. Ita iidem illi qui libertatem publicam metuunt, adu-
lationem nimiam oderunt, & in scelerum ministros & patrones ean-
dem deniq; crudelitatem exercent: cum exstimulante conscientia &
satiata malefaciendi libidine illos quasi scelerum exprobatos equis
oculis diu intueri nequeant, quemadmodum omnium temporum Hi-
storia docet. Atq; in moderatiorum Principum intemperie accidit in-
terdum, ut negare præstet, quod petitur, non Dei tantum sed vel ipsi-
us Principis causa: cum faciles motus in generosioribus mentibus
ubi paulatim affectus incitatiores deferbuerunt experiamur, & de his
presertim qui amabile Christi Salvatoris nomen profitentur, optima
quæq; sperare liceat: quemadmodum in eodem ludo edoctus Magnus
ille Hospitalius cecinit, dum inter alia fortunam depingens aulicam
ad amicos lib: 6. sic scribit:

At mandata sequi debebas regia: quid si
Nunc vult, mox ubi se paucis collegerit horis
Idem nolet, age hæc non longum mansura voluntas
Non potior quam præcipitans animi impetus expers
Consilij, subitis impulsus motibus? aut non
Paucorum tolerabilior brevis ira dierum
Quam dolor æternus culpæ comes, & mala semper
Consilia eventus post allatura sinistros
Si quando auctoris Regem factiq; pigebit.

Quod

Quod vero supra inter alia dicebatur non debuisse Papinianum semet Reip. subtrahere, & ita magis de Reip: salute, quam excusationis improbae infamia cogitare, leuiusculum est, cum ante ostensum sit, non ideo melius habituram fuisse Remp: etsi maxime Papinianus parricidium excusasset. Valde tenuis est fucus iste & pellucet si diligentius inspexeris, vanissima certe est amoris species quam erga Remp: obtentui sumptam veritas arguit. Nam quod unquam scelus Reip. bono susceptum laudem meruit? aut quis tandem patriae causa male faciendo benefecisse bonorum iudicio existimatus est.

Etsi enim vitā & opes pro Rep: effundere oportet: peccare tamen: id est, secundum Philosophum mentem pro patria occidere non licet. Et ut vitam patriae largiatur vir bonus, virtutem tamen sibi servare veluti bonum maximum debet. Non est quae dicitur in parietibus Respublica: sed in aris & focis, non in decore imperium: sed in virtute. Principes mortales: gratia mox peritura: Respublica & virtutis cum gubernatione coniunctio aeterna. Melius quae est pro virtute cum dignitate statim mori, quam per scelus cum infamia diu vivere; imò vitam in supplicium perpetuum vertere, ac cum primis vitæ auctorem & beatitudinis nostrae principem Deum opt. Max. offendere.

Ejusmodi porro etiam est, quod Aristarchus iste à Papiniano fortiter magis quam sapienter factum scribit. Nam preterquam quod diuiduū fortitudinis & Sapientiae contubernium Stoicorum, quos primores Urbis sub Augustis etiam sequebantur, Schola non admittit: verè affirmare econtra possumus & fortiter Papinianum & sapienter fecisse: quippe qui Sapientiae obiectum religionem fidem & pietatem, res aeternas & divinas gratiae dominantis & rei caducæ anteponere,

sponere, finemq̄ nobiliorem eternam videlicet contemplationis, quietem magis, quam hæc vana ludibria felicitatis humanae & aegrorum somnijs interdum haud dissimilia spectare, & per contemptum splendide servitutis ad veram animi & corporis libertatem contendere voluerit.

Ad famam Principis quod attinet, non est ad illam per nefas & scelus grassandum, & magno in errore versantur, qui presenti potentia extingui posse sequentis ævi memoriam putant. Suum cuiq̄ decus tandem posteritas rependit: & pravè dictis factisq̄ sua infamia manet: quiq̄ etiam induta virtutis imagine à tergo sapientis Archilochi vulpem astutam & variam traxerunt, quid aliud sibi quam dedecus & exitium pepererunt? Neq̄ verborum lenocinia veritatem tollunt. Nam quod fraterno primum maduerunt sanguine muri, nemo nisi idem vir malus sit laudabit unquam: rectèq̄ Cicero peccatum in eo fuisse pace vel Romuli vel Quirini scribere apud Romanos non dubitavit.

Quod si maximè Oratoribus interdum meretricius fucus placet, ut contra viri boni officium non bonæ causæ defensionem suscipiant, Jurisconsultis certè semper displicere debet: cum ipso oratore teste via juris eiusmodi sit, ut nihil sit gratiæ locus. Proinde summa animi magnitudine Pisistrati conatibus Solon obviam ivit: Syllæ minas Quintus Mucius Scævola contempsit, adversus Caesaris amati vim Sulpitius interritus constitit, consilia Triumvirorum Cassellius damnavit, Augusti gliscentem dominatum cauta ingenuitate Antistius Labeo elusit, Tiberij blanditias Cocceius Nervareiecit, injustis Caligulae & Neronis consilijs Cassius restitit, pari omnes moderatione, sic ut nihil seditiose agerent, sed suis se continentes finibus, neq̄ ad tur-

E

piores

piorem inclinarent causam & nihilominus dignitatem virtutis, auctoritatem ordinis integram servarent.

Econtra qui specie juris & bonarum artium falsi, non vero, sed pestilentissimo sub libertatis & juris obtentu adulationis genere Principibus gratè facere voluerunt, homines profecto ignava opera & Philosophia sententia perpetuo hominum odio damnati leguntur. Atteius Capito insignior infamia sub Tyberio fuit, quod humani, diviniq; juris sciens egregium publicum & bonas domi artes dehonesta visset. Et peracta Agrippinae nece & scriptis ad Senatum pro excusatione paricidij literis, non jam Nero, cuius immanitas omnium quaestus anteibat, sed adverso rumore Seneca erat, quod Orationem tali confessionem scripsisset.

Quod autem inter alia dicebatur à Magistratibus mendacia & sophismata interdum honeste usurpari: non sunt illa proprie mendacia in quibus non est intentio fallendi aut nocendi alteri. Immo si vere judicare volumus ne in Dei quidem laudem est mentiendum, nedum in hominis cujusquam commodum aut salutem. Deinde sophismata politica apud Philosophum non pro insidijs sed arcanis Reip. ut quae evulgare nefas est, quae non vlli vix ac ne vix quidem in historia attigerunt, accipiuntur, neq; per eiusmodi arcana populus fallitur, sed sensim & occulte ad bonum Civitatis inducitur; nec ullum magnum imperium sine eiusmodi arcanis diu potest consistere, aut si evulgari coeperint, in eodem statu manere, quemadmodum cum Romae Imperatorem alibi quam Romae creari posse, & ibi Romam ubi Imperator erat esse evulgari coepit, magno cum damno florentissimi imperij accidit ut pessimo cuiq; largitionibus & studijs praetorianorum militum & veteranarum legionum pessum data Senatus Rom. auctoritate aditus ad fasti-

gium

gium dignitatis imperialis pateret: imo veluti sub hasta venale esset
& potentiorum præda fieret.

Sane meminisse debent Prudentes Politici temporum præsentium: quomodo videmus iniquissimo animo tulisse Cæsares Romanos, si quis de statu suorum temporum rebus imperij etiam pessimè constitutis anxie questus fuisset. Verum hoc non eò pertinet, ut omnia omnium temporum gesta, dicta, facta, & plena buccis prædicemus, & ipsam Temporis filiam Veritatem eliminare debeamus. Et per magni interest existere in Senatu illustri Catones, Appios, Claudios & horum similes viros qui prisca Se veritate aliorum molles sententias castigent. Quid Augustus Cæsar? nonne occupata Rep: Catonem bonum nihilominus Civem iudicavit, qui præsentem Civitatis statu mutari nolisset. Ita summa cum laude gravitatis & prudentiæ præter illos quos supra nominavi M. Lepidus, Thrasea Pætus & Helvidius Priscus extra adulationem pro libertate & dignitate ordinis sui pugnarunt, & Thrasea quidem moribundi ad filium vox extrema ista: spectata juvenis, & omen quidem Dij prohibeant: cæterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis. Denique Seneca etsi sæpe nimium connivisset ad Principis sui peccata, ad extremum intellexit frustra se illa tegere & excusare conatum fuisse, ac tantum abfuisse, ut illum à proposito revocaverit ad frugem, ut etiam vitia, quorum partem maximam in se per excusationem receperat, deterioribus auxerit & cumula verit. Id indicant verba viri alioqui prudentissimi jam expiraturi novissima hæc. Ubi præcepta sapientiæ? ubi per tot annos meditata ratio adversum imminentia? Cui enim ignaram fuisse seviciam Neronis?

oneq; aliud superesse post fratrem matremq; interfectos, quam ut edu-
catoris preceptorisq; necem adyceret. Idem certe Papiniano nostro, si
Caracallo obsecutus fuisset, accidisset. Nam & incestus cum nover-
ca libidines & promiscuas omnium ordinum cædes Imperator postea
ab eodem excusari voluisset.

Ad extremum quamvis illa ætate dominantibus non hominis
bus sed monstris Inpp: opinio ex Stoicorum Schola apud primores
Civitatis percrebuerat, voluntaria morte honeste anteverti Principi-
pum crudelitatem, quod satius existimarent per *αὐτοχρησίαν* ex domo
conduclitia ante diem pensionis exire, & pauculos dies aut horas præse-
venire, quam per ignaviam toties mori & non mori. Tamen meliorum
partium ac Philosophi cum primis mortem voluntariam non fore-
titudini sed desperationi tribuentis sententiam Papinianus probavit:
& in statione sua bonum militem stantem mori quam ex ea injussu Im-
peratoris decedere rectius esse putavit.

Ex quibus omnibus tandem conficitur id, quod initio dicebam,
non debuisse Papinianum parricidium excusare: neq; ideo minus fore-
tem aut sapientem illum fuisse: quippe qui alioqui naturam, pietatem
& religionem offensusset: imò non tulisset modo Principis sui vitia
sed & auxisset culpam, per culpæ excusationem: & ut idem hic noster
Papinianus apud Spartianum in hac ipsâ re dixisse fertur: accusando
innocentem occisum aliud parricidium commisisset. Quod unum igitur
& pulcherrimum Papinianus habuit, omnibusq; IC. & Principum
familiaribus testamento veluti reliquit vitæ scilicet suæ in morte tam
commemorabili imaginem constanter tueamur, neq; à malis sub specie
boni eam corrumpi patiamur: ne quemadmodum omnia mala exem-
pla ex bonis initijs orta sunt, ita sub obtentu scientiæ politicæ etiam in
hoc

hoc argumento ad deteriora levi gradu feramur, & naufragium fidei Christianae per imprudentiam nostram faciamus.

Denique & suprema morientis Libertatis, id est, magnanimi Papiniani, jam sub acie novacula periclitantis & futura etiam divinantis vox observanda, cum militibus ad necem ipsum trabentibus dixit, stultissimum fore qui in suum subogaretur locum, nisi appetitam crudeliter praefecturam vindicaret. Atque hoc accidit; cum Macrinus qui Papiniano in praefectura successit Caracallum post occidi jussit.

Ita virum fortem juxta ac sapientem non minime dominantis, non mors ipsa denique a recto & vero potuit dimovere. Ergo non desinit

Esse bonus miles: tutor bonus, arbiter idem

Integer: Phalaris licet imperet ut sit

Falsus & admoto dicet perjuriam tauro. Et tu igitur quisquis es

Summum crede nefas animam perferre pudori

Et propter vitam vivendi perdere causas.

Namque constans adversus metum & iniquiorem sortem bene preparatum pectus, justumque & tenacem propositi virum etsi fractus illabatur orbis impavidum ferient ruinae. Sic mors ipsa cum venerit, vincitur. Si priusquam veniat, semper cogitatur.

Peracta caede Papiniani cadaver per plateam sine aliqua humanitatis reverentia tractum scribit Spartianus.

Ita simplex nudaque virtus.

Effertur siccis oculis & honore sepulchri

Sola caret

Collectum tamen & sepultum cadaver a parentibus epitaphium, quod vulgo circumfertur, indicat: in quo illud cum primis memorabile est, quod Parentes Papinianus Hostilius & Eugenia Gracilis

turbato ordine in senio Filio optimo monumentum illud fecisse dicuntur quemadmodum ipse filius jam ante libro 14. questionum scripserat, decedentibus ante parentes liberis turbari ordinem mortalitatis. Auxitq; doloris acerbitatem, quod post mortem Papiniani patris filius, qui ante triduum quæstor opulentum munus ediderat, cum multis alijs & bonis civibus jubente Caracallo contra omne jus & fas ad supplicium trahitur & jugulatur.

Ergo ut in simili argumento alibi scriptum est infelicissimi parentes afflicti præposteritate naturæ filium & nepotē, quorum dulcissimas manus, oculos prius claudere fas fuit, ante diem condiderunt suum, ademit importuna mors senibus baculum, cui jam defessa ætas adnitas per breves annos alle varet suos, nunc ante mors adsequitur, quam testes lacrymæ deserunt.

Neg; vero hic turbari debemus quod mors, quod sepeliendi ratio externo honore caret; quod parentes spectatores sunt tantæ cladis. Socrates omnia ista non aliter appellare solebat, quam *μορμολύκεια* si ve larvas. Res quæ specie sunt terribiles nudæ à nobis sunt intuendæ sine opinionum vlla veste aut persona. Epitaphium per se pulchrum pietas est, præstatq; mortis eiusmodi dies, die alicuius natali. Non est mors ulla infamis, nisi vita talis sit; omniumque exequiarum & monumentorum honorem superat, prosperat & jucunda posteritatis memoria: quæ cadentibus & sine honore jacentibus tyrannorum magnificis titulis, nullis sæculis conticescit: sed viget & vivit in animis bonorum, seq; ipsam satis adversus invidiam & obtrectationem ipsa sepulchrorum religione & veneratione tuetur. Parentibus deniq; non indecorum fuit tam gloriosam mortem spectare: quibus turpissimum fuisset, si per excusationem parricidij filio vita diuturnior & miserior

ferior contigisset. Mortuus est filius ut maiori cum dignitate in mentibus bonorum vivere posset, & huiusmodi excessus eò loco haberi debet, atq; cum parentes in certaminibus Olympiacis liberos suos coronari & pro Republica mortuos publicè laudari viderunt: Ita ad parentum vitæ satietatem gloriæ & honorum qui in filium optimum conferri poterant maximi, hoc tandem complementum accessit.

Proinde Papinianum hunc nostrum per se & suam scientiam magnum, quod talem exitum habuit plurimi faciamus, ac vel ab hoc tam illustri exemplo discamus, viri & IC. boni officium famam & existimationem, vel cum periculo offensionis & vitæ adversus immunitatem tueri: non facile obrectatoribus Sapientum aures præbeamus: ac quemadmodum sepulcra; Ita nomina illorum qui & vitæ & morte sua nobis clarissime præluxerunt religiose colamus. Detur hoc illustrium virorum posteritati, ut quomodo exequijs à promiscua sepultura separantur: Ita in traditione supremorum accipiant habeantq; propriam memoriam.

Deum Opt. Max. & socios civesq; Reip: nostræ Christianæ precor: illum ut nobis omnibus ad finem usq; quietam vitæ & intelligentem, diuini humaniq; juris mentem duit: illos ut quandocumq; qui bene de Rep. meruerunt, concesserint qui supererunt cum laude & bonis recordationibus facta atq; famam præclarorum nominum cum diuini numinis gloriosa celebritate semper prosequantur.

F I N I S.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

F I N I S








Ke 1501

(X2215947)

561

970





PETRI HEIGII IC. ET IN
ACADEMIA VVITEBERGENSI
PROFESSORIS,

ORATIO

DE ÆMILIO PAPINIANO
PRAETER VITAE MORTISQUE HISTORIAM
& officia Iurisconsultorum maxime insignia VINDICIAS Libertatis
is Viri & Iurisconsulti optimi continens adversus
superum obrectatorem.



VVITEBERGÆ,
Typis Zachariæ Lehmanni,
Anno M. D. XCIII.

